

oblongis trinerviis margine scabris, involuci basi canescentis squamis exterioribus ovato-oblongis acutis involucro interiori brevioribus, acheniis a medio lanuginoso-papposis sulcato-costatis; costis solidis puberulis.

Hab. In den Sandsteinschluchten zwischen Agatme und Karagata 16. April 1842 (florens et fructificans).

An praecedentis varietas? Exceptis signis in diagnosi indicatis praecedenti simillima. Folia minus carnosa. Achenia nondum matura, nec tamen nigricantia ut in illa; lana rufescens nec grisea. Si vero hanc pro antecedentis varietate haberem, etiam sequentes formas illi adjungere necesse erit.

797. *Scorzonera acrolasia* Bge.

Sc. (Epilasia) annua, canescenti-molliter pilosa; caule 1 — 3 cephalo, foliis ovato-oblongis tri-quinquenerviis margine undulato-crispis vel planis parce denticulatis, involuci basi canescentis squamis exterioribus ovatis involucro interiori brevioribus, acheniis ipso apice lanuginoso-papposis ecostatis subtetragonis basi scabriusculis.

Hab. In Jaman-Kisil-kum 22. April 1842; — ? im Kisilkum 29. April 1842 (flor. et fructificans).

Praecedenti praeter achenia simillima. Achenia vero diversissima, nondum matura cum pappo fere 8 lineas longa; achenio ipso $2\frac{1}{2}$ lineari, maxima ex parte nudo, parce puberulo, paulo infra apicem lanato-papposo. Pappi setae numerosiores, accedunt nempe setae 5 breviores a lanuginis squamulis haud omnino ad apicem usque in lanam solutis, vix distinctae; lana parciar, superne albida, basi rufescens. Specimen unicum in arenis Kisilkum collectum paululum abhorrens caule ramoso, ramis divaricatis, lana paulo crebriore, cinerascenti-grisea, medium quasi inter hanc speciem et Sc. ammophilam m. (v. i.).

798. *Scorzonera cenopleura* Bge.

Sc. (Epilasia) annua, canescenti-tomentosa, ramosa; foliis linearis-oblongis utrinque attenuatis margine serrulato-scabris tri-quinquenerviis, involuci floccoso-tomentosi squamis exterioribus oblongo-lanceolatis inaequalibus aliis capitulum superantibus, acheniis a medio dense lanuginoso-papposis albo nigroque vittato-costatis; costis albis planis cavis.

Hab. In den Lehmgründen des südlichen Kisil-kum 29. April 1842 (florens et fructificare incip.).

Habitu robustiore, caule in uno e speciminibus tribus vix florente fere 10-pollicari, foliis $2 - 3\frac{1}{2}$ pollices longis, medio interdum usque ad pollicem dimidium latis, a cæteris abhorrens, præsertim vero disinctissima acheniorum structura. Achenii nempe pars inferior haud lanata brevis, $1\frac{1}{2}$ lin. circiter longa, lineam fere lata, costis 5 nigris, acutis, et inter has striis 5 albis, longitudinaliter cavis instructa, altera pars, huic longitudine aequalis, lana grisea fere semipollicari obtecta; pappi setae 5 fragillimae, demum evanidae, apice pectinato-plumulosae lanam superantes.

799. *Scorzonera ammophila* Bge.

Sc. (Epilasia) annua, glaberrima, ramosa; foliis linearis-oblongis utrinque attenuatis